

S C H O L I O N

At contra verbum Dei, inquit Calviniani, nulla vincit ratio, nulla valet auctoritas. Christus non laicis, non mulieribus, sed Apostolis dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. II. S. Augustinus ep. contra Parmenianum hæc J. Christi verba præ oculis habens, Baptismum a laicis datum, vocat alieni muneris usurpationem, si nulla fiat necessitate cogente, si autem necessitas urget, aut nullum, aut veniale delictum existimat; ergo ex Augustino non est omnino certum, laicos licite, & valide, necessitate urgente, posse baptizare. Mulieres vero a docendi, & baptizandi ministerio aperte excludit Tertullianus libro de virginibus, & Concilium Carthaginense IV. can. 99. & 100.; nec hilum quidem valet ratio Doctoris Angelici; non minoris enim necessitatis est Pœnitentiæ Sacramentum adultis lapsis in actualia peccata, quam parvulis Sacramentum Baptismi, ad delendum originale peccatum; si autem nemo laicus, etiam cogente necessitate, a peccatis potest absolvere, cur poterit baptizare? Sed ad ista omnia facilis est responsio. Primum argumentum nihil probat, quia nimis probat; si enim verba illa, *docete omnes gentes* &c. Apostolis dicta tantum fuerunt, soli Episcopi valide possent baptizare, & non alii: quod falsum est. Apostoli vero aliter illa verba intellexerunt, quando ad baptizandi munus alios quoque assumpserunt, qui ipsorum successores non erant. S. Augustini verba (sic ad II.) innuunt esse veniale peccatum, quando laici omnem diligentiam non adhibent, ut Sacerdotem ad baptizandum inveniunt. Id vero intelligendum de gravi, non de extrema necessitate; & dummodo laicus nolit alienum munus usurpare, sed ex parum ordinata caritate infantem baptizet; si enim gravis sit necessitas, non extrema, graviter peccaret laicus, qui alienum munus usurpare contendens (quantum temporis angustia patiuntur) omnem non adhiberet diligentiam, ut Sacerdotem inveniret. Ita quidem nobis videtur, sed judicium nostrum Ecclesiæ judicio, & doctiorum sententiæ subijcimus. Ad III. respondemus, Concilium Car-